

nepotis a se exheredati, ut iniquus patruus¹, non cessabat invidere, cuius patrem eundemque fratrem suum diurnis nexibus captivitatis addictum regnique sui iura seu monarchiam Normannicam metuebat amittere. Hęc, inquam, et similia non enodamus, potius aliis tractanda proponimus. Sed et quomodo sustinuerit idem iuvenis, scilicet Wilelmus comes substitutus non solum finitimas, verum etiam alienas congressiones et tam procul positas, quam proximas et crebras phalanges, turmas atque legiones in subversionem sui suorumque ac totius provincię sibi commissę properantes, concertantes et absque fere intermissione novis rebus insistentes, reticemus. Non tamen preterire debuimus casum non tam rectoris principisque excellentis, quam casum amici familiaris nostrique protectoris, qui ex quadam industria et singulari diligentia nichil ferme detrimenti patiebatur inesse rebus, quas noverat famulari beate Rictrudi eiusque filię, Deo consecrate virgini Eusebie. Qui prudens vir atque disertus, ut nichil supra tam pie tamque benigne responsa proclamantium religiosorum virorum rebus ipsis prefectorum accipiebat, quod sine gemitu ac merore possunt et ipsi referre, multociens occupatus militia, stipatus armis latera, properans et intendens ad alia cognita seu visa, fratrum Marcenensium presentia ilico subsistebat, atque auditis querelis decursisque alternatim privatis causis iudiciariis² vel statim iustitiam exercebat³ vel certam iustitiam diemque certum iusticię determinabat. Sepenumero etiam presentiam suam ipsis militibus subtrahebat⁴ atque cum eisdem fratribus se medium innectens familiariter de necessariis negotiis sermonem conserebat, vitasque necnon origines ac progenies vel merita sanctorum Marcenis quiescentium et precipue beatę Rictrudis sanctęque Eusebie, eius videlicet natę, inquirebat, quarum nobilitatem nobilis et ipse avido pectore reponebat et tenaci memorię commendabat sueque sollerti inquisitioni de precipuo et primo fundatore nostri cęnobii sub beato Amando, de sancto videlicet Ionato confessore Christi egregio et monialibus sibi subrogatis pro castigatę vitę merito in abbatem ministro sibi satis fieri deposcebat. Demum omnem diligentiam suam abbati nostro, tunc temporis venerabili atque amabili Amando⁵, quem valde venerabatur et diligebat, pariterque fratribus sub eodem karissimo patre operam religioni dantibus affuturam procul dubio spondebat. Igitur simulac breviter attigimus vel potius

1) Vgl. V. Karoli c. 44 'a patruo suo Henrico Anglorum rege — impie exheredatum'. 2) Von der Hand des Schreibers über der Zeile nachgetragen. 3) 'exerebat' hs. 4) Vgl. Walteri Vita c. 12: 'In quibus hunc ordinem sepius observabat, ut, si quando clerici vel monachi liegiosi necessitate aliqua cogente in sua curia causas agere haberent, eorum ante alia et querelas audiret et causas terminaret, et sic demum ad alia se tractanda converteret'. 5) 1116 — c. 1133.